



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Principium, seu Fundamentum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

PRINCIPIUM, SEU FUNDAMENTUM,

MEDITATIO I.

*Finis ipsius Hominis.*

**C**ONGRUA, De eo, qui parat se, ut cognoscat,  
quid Rex de eo constituerit.

PRÆLUDIUM I. Totam materiam, *Creatus est Homo, &c.* usque ad, *Salvus fiat*, inclus. Simul ob oculos nobis proponere.

PRÆL. II. Petere gratiam, ut veritatem illam benè intelligamus, & juxtà illam vivamus.

**P**UNCTUM I. MEMORIA, *Creatus est Homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet.*

INTELLECTUS. Cogitemus, quod laudare, sit celebrare Dei excellentiam, & quaqua possumus divulgare; quod sanè meretur, & quidem solus: tum ob infinitas suas perfectiones; tum ob creationem, cujus titulo est Dominus noster solus.

*Magnus Dominus, & laudabilis nimis*, Psal. 47. Ad nos REFLEXI, videamus, quam sæpè, neglectâ Dei laude, laudem nostram vanam quæserimus.

VOLUNTAS. Deploremus nostram in hoc socordiam, & ad Deum conversi dicamus: *Semper laus ejus in ore meo*, Psal. 33.

PUN-

**PUNCTUM II. MEMORIA.** *Creatus est Homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum . . . revereatur.*

**INTEL.** Reverentia, & honor exhibetur alteri tamquam presenti. *Soli Deo honor.* 1. Tim. 1. *Placentes Deo, cum metu, & reverentia.* Hebr. 12. Ad nos **REFLEXI**: Inquiramus, quoties peccaverimus contra debitam Deo reverentiam.

**VOL.** Ambulemus coram Deo, tamquam presente, & dicamus: *venite adoremus, & proeidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos.* Ps. 94.

**PUNCTUM III. MEM.** *Creatus est Homo ad hunc finem, ut Domino Deo suo, sit serviens.*

**INTEL.** Servire est ex voluntate Dei pendere, ejus mandatis obtemperare, *illi soli servies.* Deut. 6. Ad nos **REFLEXI**, inveniemus nos sæpè nobis, aliisque potius servivisse, Dei mandata transgredientes.

**VOL.** Doleamus, quod ità aberraverimus à fine nostro: & deinceps serviamus Deo *in novitate Spiritus.* Rom. 7.

**PUNCTUM IV. MEM.** *Creatus est Homo ad hunc finem, ut . . . salvus fiat.*

**INTEL.** Perpendamus infelicitatem hominis, si hunc finem non assequatur. *Bonum erat ei, si natus non fuisset Homo ille.* Matth. 26. Ad nos **REFLEXI**, examinemus, an hætenus viam ad finem hunc salutis benè tenuerimus.

**VOL.** Horrorem concipiamus à viâ perditionis, quæ deviat ab hoc fine. Recurramus ad Deum, dicentes : *fiat manus tua, ut salvet me.* Ps. 118.

**COLLOQUIUM.** Imploremus Deigratiam, ut veritas finis nostri numquam animo excidat : & ex illâ vitam instituamus.

**RECOLLECTIO.**

## MEDITATIO II.

*Finis aliarum rerum.*

**CONG.** De eo, qui à Rege media accipiet, ad munus suum rectè obeundum.

**PRÆL. I.** Totam materiam, *Reliqua verò super terram.* &c. usque ad, vel *obsunt*, uno quasi obtutu obiter inspicere.

**PRÆL. II.** Petere gratiam pro recto usu rerum creatarum.

**PUNCTUM I.** *Sanitas, & Ægrotudo.* **MEM.** Inter reliqua supra terram sita, proponamus nobis sanitatem, & ægrotudinem.

**INTEL.** Concludamus ergò *utendum illis, vel abstinendum eatenus esse, quatenus, ad prosecutionem finis, vel conferunt, vel obsunt.* **REFLEXIO.** Examinemus, an timore ægrotudinis, non omiserimus tendere ad finem nostrum.

**VOL.** Obfirmemus animum nostrum, ne unquam

quam ob metum ægritudinis, doloris, laboris, & incommodorum deflectamus à viâ, quæ ducit ad finem. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tuæ latificaverunt animam meam.* Ps. 93.

**PUNCTUM II.** *Divitia, & paupertas.* MEM. Nunc inter reliqua proponamus nobis divitias, & paupertatem.

INTEL. Concludamus item, quatenus iis abstinendum, vel utendum sit. REFLEXIO. Consideremus, quam multi, & nos inter illos, abducantur per hæc à suo fine.

VOL. Deploremus nostram aliorumque cæcitatem. *Beatus . . . qui post aurum non abiit.* Eccli. 31.

**PUNCTUM III.** *Honor, & contemptus.* MEM. Hæc duo itidem ante mentis oculos obversentur.

INTEL. Patet iterum, quid de his concludendum sit. REFL. Consideremus quomodo honoris studium nobis infestum fuerit, & abducatur à laude, & servitio Dei.

VOL. Dicamus, pereat, mi Deus, nomen meum, ut *Sanctificetur nomen tuum.* Matth. 6.

**PUNCTUM IV.** *Vita longa, & brevis.* MEM. Hæc sunt res, quas S. P. Noster inter reliqua enumerat quarto loco.

INTEL. Concludamus, vitâ temporali abstinendum,

nendum, quando sic oportet, ut salvi fiamus, & habeamus vitam æternam; & quando conducit ad laudem, & servitium Dei.

REFL. Tamen plurimi metu mortis à fine suo discedunt: videamus an simus ex illis.

VOL. Dicamus, intuendo finem, ad quem creati sumus: *magnificabitur Christus in Corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.* Philip.

I.

COLLOQUIUM. Petamus donum *fortitudinis, & timoris Domini*: ne umquam vel spe vitæ, vel metu mortis abstrahamur, à laude, reverentia, & servitio Dei, & à viâ æternæ salutis nostræ.

RECOLLECTIO.

## MEDITATIO III.

### *Indifferentia.*

CONGRUA, Quomodo volens finem, debeat circa media indifferens esse, sicut artifex circa instrumenta.

PRÆL. I. Totam illam partem, *Quapropter debemus, &c.* usque ad *preferamus*, inclusive, obiter quasi percurrere.

PRÆL. II. Petere gratiam perveniendi ad illam indifferentiam.

PUNCTUM I. *Sanitas & ægritudo.* MEM. Meminerimus ex præcedenti meditatione, sanitate & ægritudine eatenus utendum vel abstinendum esse, quatenus ad finem conferunt, vel obsunt.

INTEL.

INTEL. Hinc concludamus, quod absque differentia nos habere circa res illas debeamus, & tamquam media vel instrumenta illas considerare. REFL. Respiciamus nos, & inquiremus, an talem indifferentiam habeamus.

VOL. Æstimemus, & observemus Regulam sum. 50. & ægritudinem acceptemus *ut donum de manu Dei... quandoquidem non minus donum est, quam sanitas.* Imò majus, quando magis ducit ad finem.

**PUNCTUM II. Divitia & paupertas.** MEM. Meminerimus idem de his duabus rebus, ex præcedenti meditatione.

INTEL. Nihil est in divitiis, quod nos ab illo æquilibrio abducere debet: Nam quatenus media non sunt ad finem, nil nisi fucatum, & vanum illis inest. REFL. Cogitemus, an defectu indifferentiæ, per has res à fine abducti non fuerimus.

VOL. Dicamus cum Apostolo Phil. 3. *Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam,* hoc est, ut ad finem creationis meæ perveniam.

**PUNCTUM III. Honor & contemptus.** MEM. Meminerimus, & his utendum vel abstinendum, quatenus ducunt ad finem.

INTEL. Ex defectu indifferentiæ ad has res, potissimum perturbantur Monasteria & Ordines Religiosi, Republicæ, Regna, & Orbis terrarum universus. REFL. Fortè nos ipsi id ipsum viderimus, vel experti fuerimus in nobis, vel in aliis.

VOL

**VOL.** Quando ità conducit ad finem, dicamus cum Apostolo 2. Cor. 12. *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis: & abominemur honores, qui à fine abducunt Hominem, quia gloria ejus stercus & vermis, 1. Mach. 2. amemus indifferentiam.*

**PUNCTUM IV.** MEM. *Longa & brevis Vita.* Concluseramus hæc duo etiam non aliter esse quaerenda: quàm ob finem nostrum.

**INTEL.** Per se sequitur ulterior conclusio, quod debeamus esse indifferentes: ne major vitæ amor nos à fine nostro abducat. **REFL.** Et videamus, an non ideò laudem, reverentiam, servitium Dei, & salutem nostram aliquando neglexerimus.

**VOL.** Dicamus cum Apostolo Rom. 14. *Nemo enim nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Nil igitur debet tollere indifferentiam.

**COLLOQ.** Petamus donum *sapientia & intellectus*, ad indifferentiam assequendam.

**RECOLLECTIO.**

## MEDITATIO IV.

*Electio.*

**CONGRUA.** Quomodo artifex & quisvis volens finem, eligat instrumenta aptiora.

B

PRÆL.

PRÆL. I. Verba hæc: *consentaneum est ex omnibus ea demum, quæ ad finem ducunt, eligere ac desiderare.*

PRÆL. II. Petere Gratiâ bene semper eligendi.

PUNCTUM I. *Sanitas & aegritudo.* MEM. Recordemur indifferentiam præcedenti meditatione circa hæc conceptam.

INTEL. Indifferentiâ positâ, ratio docet, sanitatem, si non ducat ad finem, postponendam aegritudini. REFL. Videamus an in victu, vestitu, habitatione, missione, labore, vigiliis, & similibus interdum non immodicè & perversè elegerimus *sanitatem præ aegritudine*, cum jacturâ obedientiæ, zeli animarum, & finis nostri.

VOL. Offeramus Corpus nostrum quasi in holocaustum Deo, cui tamquam fini nostro servire debemus, & eligamus potius dolores & infirmitates, quando fini nostro ita expedit. *Nos infirmi, vos autem fortes*, dicebat Apostolus 1. Cor. 4. & alibi, *per infirmitatem carnis*, inquit, *evangelizavi vobis.* Gal. 4. excitemus nos hiæ ad eligendum,

PUNCTUM II. *Divitia & Paupertas.* MEM. Recolamus, quæ ante de his meditati sumus.

INTEL. Ratiocinemur, ex prædictis necessariò concludi, eligendam esse paupertatem, quando magis conducit ad finem nostrum: tamen cupiditas divitiarum causa est plurimarum perversarum

rum electionum. REFL. Examinemus, an nos quoque tali cupiditate divitiarum, & commodorum iis junctorum, non fuerimus abstracti à fine nostro.

VOL. Finis noster est servire Creatori nostro, & mandatis ejus obtemperare, dicamus igitur cum Proph. Ps. 118. *Dilexi mandata tua super aurum & topazion*, & præ his illa elegi.

PUNCTUM III. *Honor & contemptus*. MEM. Repetamus præcedentem meditationem de his duabus rebus.

INTEL. Consideremus hîc esse scopulum, ad quem Electiones sæpe franguntur & corrumpuntur. Nemo tamen sanæ mentis considerans superiores meditationes judicabit contemptum non esse eligendum, quando honor abducit à fine. REFL. Cogitemus an nostræ electiones ad hunc scopulum non fuerint passæ naufragium.

VOL. Dicamus cum Regio Propheta Ps. 83. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum*.

PUNCTUM IV. *Longa & brevis vita*. MEM. Repræsentemus nobis decreta præcedentium meditationum.

INTEL. Patet iterum liquidò vitam potius perdendam, & eligendam mortem, quam ut contra finem creationis nostræ faciamus. REFL. Videamus an præ nimio vitæ amore sapius electio nostra turbata non fuerit.

VOL. Cum S. Francisco Xaverio reddamus nobis familiarem hanc Christi vocem: *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam*. Matt. 10.

COLLOQUIUM. Petamus à Deo donum *Consilii*, ut per Electiones nostras recta ad finem creationis nostræ tendamus: RECOLLECTIO.

Haëtenus de FUNDAMENTO, cui innituntur omnia Exercitia. Nunc incipiunt meditationes hebdomadæ primæ propriè dictæ.

## MEDITATIONES PRIMÆ HEBDOMADÆ.

**Q**UINQUE prima Exercitia hujus hebdomadæ, hîc non repetimus; sunt enim satis explicata in ipso libro *Exercitiorum*; præsertim si legantur junctæ *Explanationes*. Itaque transibimus ad Meditationem sextam: Repetitiones tamen (quamvis nullatenus sint omittendæ) deinceps in numero Meditationum non reponemus: satis patet, quomodo illæ ad normam S. P. Nostri fieri debeant.

Quoniam verò in *Explanatione* posita post *Tres modos orandi*, tria genera meditationum *Prima Hebdomada* notavimus à S. P. Nostro esse data: primum, cum tres animæ potentiaë exercentur ad singula puncta, ut fit in *Exercitio I*. Alterum, cum quædam puncta potissimum soli memoriæ; quædam intellectui; quædam voluntati attribuuntur, ut fit in *Exercitio II*. Tertium, consistens in quadam sensuum applicatione, ut fit in *Exercitio V*. Nos deinceps per hujusmodi ternarios ordines progrediemur. Facile autem erit unicuique post duas cujusque ternarii meditationes, inter.